

VITA SANCTI ADERITI.

CAPUT UNICUM.

Aderiti ordinatio, & prædicatio. Sepulcrum ejusdem dubium.

DE SANCTO ADERITO.

Aderitus I. vir Sanctus, & timoratus à Beatissimo Apollinare Presbyter ordinatus est, & ut sapiens architectus supra fundamentum sui Magistri, & Doctoris ædificavit. Pro suis ovibus incessanter Deum deprecabatur, ut à cultura Idolorum discederent, & Deum vivum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum confiterentur; & multi in ejus temporibus post tempestatem persecutionis baptismum susceperunt. Deinde multos ad Deum sociavit. Defunctus est in Civitate Classis, sicut asserunt, ultimo Kal. Octobris, quidam. In Basilica Beati Probi sepultus est non longè ab Ecclesia B. Apollinaris quasi stadio uno. Sedit annos..... mens..... dies.....

A OBSERVATIONES AD VITAM

SANCTI ADERITI.

Aderiti sedem, usque ad annum vulgarem centesimum extendunt cum Rubeo ceteri. Illud argumento esse potest, Aderitum ad Trajani tempora vitam protraxisse, quod hic ait, illum post tempestatem persecutionis multos baptisinate iniciasse; id enim intelligi debet de tempore subsecuto persecutioni Domitiani, cui proinde aliquot annis supervixerit Aderitus. Domitiano, itaque obeunte anno XCVI. minime abnuo Aderitum, durante Nervæ pacatissimi Imperatoris brevi satis regimine, Gentilium conversioni operam sedulam navasse, & sub initia Trajani circa centesimum Christi annum ad meliorem vitam transisse, cum Sedem Ravennatensem ultra vigesimum annum tenuisset. Quæ ad subsequentes vitas adnotabuntur, Aderiti Actis illustrandis nonnihil proderunt.

VITA

SANCTI ELEUCADII.

CAPUT UNICUM.

S. Eleucadii nomen, ordinatio, sapientia, scripta. Ejusdem sepulcrum.

DE SANCTO ELEUCADIO.

Eleucadius II., cui nomen latinè Candidus intelligitur. Hic mitis, & prudens fuit, & eum Sanctissimus Apollinaris Diaconem sacrauit. Cujus tanta fuit philosophia, ita ut plurimos de novo, & veteri Testamento libros conderet, & de Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi, atque illius Passionis volumina exaravit: unde & in passione Apollinaris Athletæ Christi legitur; *Eleucadium Philosophum Diaconum fecit.* Ille verè Gentibus prædicavit, & in sua Ecclesia oleo pietatis perunctus quasi lucernæ lumen effulsit. Defunctus est autem XVI. Kal. Martii, & sepultus est extra muros Classis, ubi usque hodie ad laudem est nominis ejus Ecclesia ædificata, & Deo consecrata. Sedit autem annos..... mens..... dies.....

A OBSERVATIONES AD VITAM

SANCTI ELEUCADII.

S. Apollinaris Acta Agnelli tempore extasse. Sancti Eleucadii Corpus Papiam minime translatum. Inter Scriptores Ecclesiasticos Apostolicos Sanctum Eleucadium referendum.

Quod in primis notandum illud videtur, extasse nimirum Agnelli tempore Acta passionis S. Apollinaris, ex quibus asumpserit is, quæ de eo supra narravit, pluram daturus, si plura legisset. Nullus autem dubitandi locus remanet, quin narrata ab Agnello certa fide nitantur; Eleucadium in primis ex Gentili Philosopho ad Christi fidem conversum Diaconatus officio insignitum ab Apollinari fuisse. S. Petrus Damianus in Sermone de Sancto hocce Eleucadio ea tantum habet, quæ ex Agnello didicerat, ut Sermonem totum legenti manifestum sit; cetera Recentiorum sunt.